Legimus utique apud Plutarchum: Leges suas Zeleucum Locrensibus commendaturum Minervam finxisse, quod cotidiè veniret, quae sibi Leges dictaret, indeque et ipse nihil eorum, quae promulgarat, abs se excogitatum aut conceptum esse asserebat. Legimus apud Diodorum Siculum, Mnevem, antiquissimum in Aegypto Legislatorem, Leges à Mercurio sibi traditas simulasse. Legimus apud Graecos idem quoque in Creta Minoa fecisse, quum Leges suas Iovi vindicaret. Accedit: quod apud Arianos, Zathraustes bonum Genium, apud Getas, Zamolxis communem Vestam, Legum auctorem suarum finxisse legantur: vel quia admirandum prorsus et divinum commentum illud esse judicarent, quod in commodum humanae societatis vergeret, vel quia vulgus ad majestatem pariter ac potestatem horum, qui leges invenisse dicerentur, respiciens, dicto magis audiens fore existimarent. Sed quos susurros audio? quae murmura percipio? Sunt fortè, qui sibi persuadent, me superstitiosè ac minus Christianè ex hominibus Deos facere, ut ex hoc ipso fundamento divinam legum autoritatem uberius demonstrare possem. Non haec mea mens: sed vel talia commenta propterea allegare volui, debui, ut rei sanctitas ac majestas inde appareret. Vos modò, Auditores, ipsi rem cogitate. Cogitate, quid sub Deorum nomine ac numine in legum sanctitate tegatur. Ceres videlicet eâ ratione leges invenit, quod, cum agricultura prima commerciorum in societate civili occasio esset, exinde legibus originem dedisse ea dicatur. Sic Mercurius eloquentiam notans, disertâ